



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

LXVIII. Schreiben des Propstes Rudolph zu Salzwedel an den Papst wegen
des streitigen Präsentationsrechtes zu einem Altare in der St. Lorenz -
Kirche zu Salzwedel, vom 2. April 1315.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

LXVIII. Schreiben des Propstes Rudolph zu Saltwedel an den Papst wegen des streitigen Präsentationsrechtes zu einem Altare in der St. Lorenz-Kirche zu Saltwedel, vom 2. April 1315.

Sanctissimo in Christo patri ac Domino, suo Domino, sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, Rudolphus, Dei gratia prepositus in Soltwedele, Cum debita reverentia, devota pedum osculatione beatorum, Sanctitati vestre cupio notum esse, quod cum inter Dominam Alheydem, relictam quondam Thyderici Hartewici, et Fridricum, fratrem ejusdem Domine, presbyterum ex una parte; et Johannem et fratres suos, filios quondam Johannis Hardewici, parte ex altera coram me super jure presentationis ad altare, situm in ecclesia sancti Laurentii in Saltwedele, questio verteretur, in consules civitatis Saltwedele super hujusmodi jure presentationis fuit concorditer a predictis partibus compromissum, ut intellectis et examinatis meritis ipsius omne arbitrium per suam sententiam promulgarent. Postea elapso aliquot dierum spatio predictae partes ad iudicium redierunt et predictus Fredericus presbyter a dicta Domina, sorore sua, ad ipsum altare presentatus petebat se de accessu predicti altaris insitui, dictam causam asserens per arbitrium predictorum consulum terminatam, Johanne et fratribus suis respondentibus et dicentibus, hoc fieri non debere, tum quod compromissum non valebat factum in consules civitatis Soltwedele super jure presentationis, de quo ipsi consules non poterant iudicare, tum quod predicti consules in favorem predictae Domine Alheydis perperam arbitrati, neque formam juris in pronuntiando arbitrium neque formam observaverunt compromissi. Ego vero super hiis deliberatione prehabita diligenti, cum partes predictae cum instantia peterent interlocutoriam sibi fieri super premissis interloquendo pronuntiavi, petitionem sacerdotis Friderici non esse admittendam, a qua interlocutoria ipse Fridericus presbyter appellationem interposuit in haec verba: In nomine Domini Amen. Conferunt canonice sanctiones appellationis remedium non esse ideo inventum, ut sit iniquitatis vinculum per presidium innocentum, verum etiam per iniquam iudicis sententiam levamen oppressorum; Volens igitur ego Fridericus de Gorckeke humilis sacerdos gaudere et perfrui appellationis remedio contra sententiam vestram interlocutoriam, que nisi appellatione fuerit suspensa, transit in rem iudicatam, quoniam promulgastis me, Domine Rudolphe, prepositi in Saltwedele, non esse audiendum et investigandum de accessu altaris dicti in ecclesia vestra beati Laurentii in Saltwedele in honore beatorum apostolorum Jacobi et Pauli consecrandi, ad quod altare ego Fridericus presbyter per dictam Alheidam relictam Thyderici Hardewici, sororem meam, que dinoscebatur et dinoscitur vera Domina ipsius altaris et patrona, eo, quod ipsum edificari fecit et dotavit, existeram legitime presentatus, super quo etiam altari premissis vertebatur inter Johannem et suos fratres, filios Johannis Hardewici, parte ex una, et Alheidam, dictam dominam et sororem meam, ex parte altera, que vestra interveniente auctoritate descisa arbitrio et testimonio proborum virorum in Saltwedele in presentia vestra fuit et sopita. Ulterius quod me vexatis et gravatis contra Domini et canonum instituta, unde ab audientia vestra sedem apostolicam appello in hiis scriptis, apostolos primo, secundo, tertio cum instantia postulando, quos, si mihi denegaveritis, iterum et iterum disposui appellandum, subjiciens personam meam seu res meas mobiles et immobiles et omnes mihi adherentes seu adherere volentes, protectioni dicte sedis. Protestor de probando, quantum sufficit mihi ad intentionem meam alstruendam, protestor etiam, quod hanc appellationem volo corrigere, innovare, declarare, totiens, quotiens mihi vel procuratori meo vide-

bitur expedire. Interposita est hec appellatio Anno Domini MCCCXV., feria quinta proxima ante Palmas, Profecutus appellationem premissam, ut debeo, per memet ipsum vel per sufficientem procuratorem constituendum ad omnium, quemadmodum edocentur, canonum instituta. Cui appellationi ex causis superius expressis et maxime, quod ea non sunt vera, que in appellatione continentur, non duxi salva cum debita reverentia sedis apostolice deferendum, et quod predictus Fredericus presbyter petebat cum instantia apostolos sibi dari, Has literas sigillo meo sigillatas pro apostolis refutatoriis sibi dedi. Actum et Datum in Saltwedele, Anno Domini MCCCXV., III. Non. Aprilis.

Nach Lenz Br. Urk. 923.

LXIX. Markgraf Johann vereignet der Kirche zu Rokenthin zwei Hufen bei Deutsch-Chüden, am 12. Juli 1315.

Noverint universi, ad quos prefens scriptum peruenerit, quod Nos Johannes, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, propter diuini nominis cultum ampliandum liberos damus duos mansos sitos in villa Chüden, ad dotem ecclesie in Rokenthin pertinentes, ab omni contributione, precaria, nec non a qualibet seruitii exhibitione et ab onere qualicunque, dantes has literas nostras sigillatas nostro sigillo in testimonium hujus facti. Actum Soltwedel, anno domini M^o. CCC^o. quinto decimo, Vigilia beate Margarethe virginis.

Auscultata est prefens copia per me Johannem Wulff, Clericum Verdenfis Diocesis, publicum sacra imperiali auctoritate notarium, et concordat cum suo vero originali sigillato, quod attestor propria manu mea.

Gersten's Fragm. I, 59 ex orig. Lenz Br. Urk. 996. Beckmann's Besch. a. a. D. Sp. 119.

LXX. Markgraf Johann und Herzogin Anna von Breslau vereinigen die Alt- und Neustadt Saltwedel wegen etlicher Streitpunkte, am 13. Juli 1315.

Nos Johannes, dei gratia Brandenburgensis et lufacie marchio, nec non Anna, eadem gratia ducissa Wratislaviensis, Recognoscimus per presentes, Quod dissensionem inter Ciuitates nostras Antiquam et nouam Saltwedel pro tempore habitam reformauimus in hunc modum, statuentes et volentes, Quod antiqua ciuitas tercia feria forum optineat, sicut ante, noua vero ciuitas dominica die ebdomadale forum habeat in vendendis singulis et emendis, et volumus vt neutra Ciuitas alteram in foro impediat, sed promoneat diligenter. Si vero aliquis burgenfis uel aduena die forensi forum Ciuitatis alterius impederit, ita quod duobus uel tribus testibus uinci possit, illum aduocatus impignorabit pro tribus marcis denariorum, de quibus nobis cedent due, ciuitati cui fit iniuria cedet vna: et utraque ciuitas suum habebit consilium speciale, sed vnus erit iudex, qui vna sexta feria in vna ciuitate et altera in ciuitate altera iudicabit. Ceterum profitemur,